



II. Abtheilung: Mittheilungen.

Series abbatum monasterii Eberacensis

aus Bd. IV resp. III von Niblings Werken

mitgetheilt von Dr. P. Wittmann, k. bayerischer Reichsarchivrath zu München.

Per accuratam et diligentem inquisitionem diversorum librorum fratris Johannis Nibling, tunc prioris, philosophie professoris ac sacre theologie baccalaurei formati, singuli domini abbates, monachi et conversi Eberacenses, qui mortui sunt ab anno domini dumtaxat millesimo tricentesimo octogesimo quinto usque in presens secundum ordinem nominatim sunt conscripti, quos pie credimus jamdudum in libro vite annotatos. Hortatur prefatus fr. Johannes Nibling quemlibet huius libri possessorem, ut defunctorum nomina diligenter conscribi faciat. Notandum, quod annotacio et conscripcio fratrum defunctorum non est facta a primeva fundacione monasterii, sed numero annorum domini, quo supra, quia monasterium Eberach est fundatum anno domini millesimo centesimo vicesimo septimo; et sic fluxerunt a fundacione monasterii usque ad prefatos annos domini, quibus nomina fratrum incepta sunt annotari, ducent quinquaginta quinque anni.

Ab anno domini millesimo tricentesimo octogesimo quinto usque in presens defunctorum nomina Eberacensium infra sunt annotata:

Fridericus Mospach, dyaconus. — Johannes Weisenpurg, sacerdos. — Otto Gleissenperger, conversus, faber. — Conradus Petellmann, conversus. — Ulricus Kress, sacerdos. — Laurentius Gruenwallt, conversus.

Obiit magister Conradus, et theologie profundus doctor, qui multis annis accuratissime ordinarie lectioni in theologia prefuit in studio Wynnensi unacum cum doctore Henrico

de Hassia,¹⁾ qui multas laudedignas epistolas ad eundem Conradum scripsit, in quibus eum „doctum Conradum“ nominat de Eberaco. Post eum obierunt:

Fridericus Kemmerer, sacerdos. — Cunradus Liesperger, sacerdos. — Johannes Kemmerer, conversus, ledermeister. — Albertus Pauspack, sacerdos. — Henricus Schmidt, conversus, magister in Weyer. — Fridericus Koch, conversus. — Johannes Wolmuedt, abbas in Lanckheim,²⁾ de Eberach receptus.

Anno domini millesimo trecentesimo octogesimo quinto obiit reverendus in Christo pater dominus Otto, nonus abbas Eberacensis, qui decem et novem annis abbaciam rexit. Hic primus sibi et omnibus suis successoribus pontificalia impetravit. Et quod hodie disputatur, quis abbatum pontificalia impetraverit, volui etiam copiam bulle super impetratione pontificaliorum annotari.

Copia bulle apostolice super impetratione pontificalium dominorum abbatum in Eberach.

Urbanus,³⁾ episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Ottoni, abbati. et conventui monasterii Eberach, ordinis Cisterciensis, Herbipolensis dyocesis, salutem et apostolicam benedictionem! Exposcit vestre devocionis sinceritas et religionis promoteretur honestas, ut tam vos, quos speciali dilectione prosequimur, quam monasterium vestrum dignis honoribus attollamus; hinc est, quod nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati,⁴⁾ ut tu fili abbas et tui successores, abbates dicti monasterii, qui pro tempore fuerint, mitra, annulo et aliis pontificalibus insigniis libere possis uti. Necnon, quod in dicto monasterio et prioratibus eidem monasterio subiectis et parochialibus et aliis ecclesiis ad vos communiter vel divisim pertinentibus, quaevis vobis pleno iure non subsint, benedictionem solennem post missarum vespertinorumque et matutinatorum sollemnia, dummodo in huiusmodi benedictione aliquis antistes vel apostolice sedis legatus presens non fuerit, elargiri possitis, felicis recordacionis Alexandri pape quarti praedecessoris nostri, que incipit „abbates“, et aliis quibuscunqne constitutionibus apostolicis in contrarium editis nequaquam obstantibus, vobis et eisdem successoribus auctoritate apostolica de speciali gracia tenore presentium indulgemus. Nulli ergo hominum etc.

Item, si vis scire, quotto anno Christi abbas Otto fuerit electus in abbate Eberacensem, lege sequentia:

Nos abbas Morimundi Thomas notum facimus universis, quod cum anno domini millesimo tricentesimo quinquagesimo quarto in die beati Benedicti abbatis visitarem dilectam

1) Vgl. über ihn »Allg. d. Biogr.« Bd. 17. S. 673.

2) Kloster in Oberfranken.

3) VI. od. V.

4) Das erwartete Hauptwort »concedimus« fehlt.

filiam nostram de Eberaco personaliter, omnibus senioribus et maioribus dicte domus in nostra presencia constitutis statum dicti monasterii, prout nobis incumbabat, ratione pastoralis officii investigavimus diligenter maxime, quod de novo ibidem promotus fuit in abbatem venerabilis et in Christo nobis charissimus filius dominus Otto. Et inventum fuit fideli estimacione et computacione coram nobis, quod predictus dominus Otto, dum primo abbatiam intraverat, invenit illam obligatam diversis creditoribus in septem milibus ducentis septuaginta quinque libris hallensium. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus literis duximus apponendum. Dat. Anno domini et die, ubi supra.

Johannes Bossek, sacerdos. — Johannes Weinckheim, sacerdos. — Rudolfus Wisell, sacerdos. — Hugo, magister artium, sacerdos. — Conradus Reichhoff, sacerdos. — Johannes Saxo, sacerdos. — Heinricus Schrodtt, conversus. — Heinricus Kesfrosch, conversus. — Heinricus Weger, conversus. — Johannes Wescheim, conversus, prepositus.

Anno domini millesimo quadringentesimo quarto obiit dominus abbas Petrus, decimus abbas Eberacensis. Hic inter multas adversitates et similitates inter episcopum Herbipolensem et civitatenses suos subditos, per quas gravia damna monasterio fuerunt illata, sua industria monasterio bene providit et multa bona emit; rexit abbaciam fructuose 18 annis.

Post eum obierunt:

Fridericus Sybot, sacerdos, infirmarius. — Heinricus Reisch, conversus, prepositus. — Michahel Weishaubt, sacerdos. — Cunradus Vaser, conversus. — Sichfridus Michelaw, conversus. — Theodericus Groeslein, conversus. — Wingardus, conversus. — Fridericus Hoehstet, sacerdos. — Nicolaus Selce, conversus. — Theodericus Rampusch. — Johannes de Marekpurg, sacerdos. — Johannes Semeler, sacerdos. — Nicolaus, conversus, sutor. — Sifridus Stuermelein, conversus. — Waltherus Schwaepurg, conversus. — Heinricus Lapidica, conversus. — Marquardus Meyner, sacerdos. — Heinricus Grim, dyaconus. — Heinricus Taub, sacerdos, portarius. — Eberhardus Textor, conversus. — Cunradus, conversus, sartor. — Johannes Müffling, sacerdos, bursarius. — Wolfframus, conversus, pistor. — Michahel Schuez, sacerdos, subbursarius. — Andreas de Rottenpurg, sacerdos. — Fridericus Weisfeldt, sacerdos. — Johannes Pfewfelman, sacerdos. — Eckhardus, sacerdos. — Wolffgangus Zannngsberg, conversus. — Waltherus Cliber, conversus. — Johannes Behem, conversus. — Cunradus Zoelner, sacerdos. — Fridericus Hezzel, sacerdos. — Bernardus, conversus. — Fridericus Hirsch, sacerdos. — Nicolaus Polander, sacerdos. — Dittmarus, sacerdos. — Johannes Recens,

sacerdos. — Johannes Kreslsheimer, sacerdos. — Heinricus de Nepomuck, conversus. — Johannes Schellerwalt, conversus. — Johannes Weiglein, sacerdos. — Johannes de Ochenfurdt, sacerdos. Apello, conversus, pistor. — Theodoricus Roesch, sacerdos. — Ulricus Rottweil, sacerdos. — Cunradus Muerlein, sacerdos. — Johannes Hock, sacerdos. — Johannes de Weysenpurg, sacerdos. — Cunradus Sellatoris, sacerdos. — Dilmanus de Nepomuck, sacerdos. — Nicolaus Ganshoefer, sacerdos. — Thomas vom Loch, sacerdos. — Willhelmus, conversus. — Johannes Aichsfelldt, conversus, et fuit interfectus. — Nicolaus, conversus, forstarius. — Johannes Koeler, conversus. — Engelhardus Weilhamer, conversus. — Bruno, conversus, magister in Weyer. — Walterus, sacerdos, pictancarius. — Heinricus Kallteysen, conversus. — Heinricus Plumentrosst, conversus.

Gotthardus de Scherenberg,¹⁾ nobilis, de genealogia illorum de Scherenberg, et fuit patruus domini Rudolphi, episcopi Herbipolensis, qui in ordine dominorum episcoporum Herbipolensium fuit 56. Qui ecclesiam suam in maximis debitis constitutam redemit in 200,000 florenis; fuit electus in episcopum anno domini 1466, mortuus 1495, regnavit 29 annos; eius gesta habentur in primo²⁾ volumine „Compilacionum“ fratris Johannis Nibling.

Anno domini 1424.

Obiit venerabilium dierum plenus venerandus pater, omni laude dignus, Heinricus, huius monasterii abbas undecimus, ex patre dictus Hepp, ex matre Nibling, Volcaita, plurime iusticie vir, prudens ac solers. Hic super omnia suae laudis praeconia merito praedicatur secundus monasterii Eberacensis fundator et resuscitator tunc propter inordinatum regimen cure domestice, quod in principio sui ingressus invenit, etiam propter lites et querras, que inter episcopum Herbipolensem Gehardum et suas civitates fuerunt, racione cuius ad totum quinquenium monasterium Eberach inestimabilia damna sustinuit. Quare providus vir et domesticus dominus abbas praefatus de consensu capituli generalis fecit sui conventus dispersionem emisitque uno die uno exilio ex monasterio Eberach in vigilia S. Jacobi anno domini 1411 simul triginta tres monachos, prius hospiciis dispositos in monasteriis regularibus; post triennium dispersos fratres et filios ad monasterium cum gaudio revocavit, post fratrum autem revocationem totumque fidelis pater familias ad multa fructuose respiciens castrum Winckell cum singulis attinenciis emit pro duobus milibus et trecentis florenis. Rexit fructuose viginti duobus annis.

¹⁾ Regierte 1466—1495.

²⁾ Nicht mehr vorhanden.

Post eum obierunt:

Waltherus Schmidtmeister, conversus. — Ulricus Sartor, conversus. — Bruno, sacerdos, magister coquine. — Nicolaus de Prisenstat, sacerdos. — Jacobus Meyniger, conversus.

Anno domini 1430:

Obiit dominus Bartholomaeus, duodecimus abbas monasterii Eberach.¹⁾ Qui in regimine successit domino Heinrico Hepp, sacre theologie profundissimus doctor. Hic tempore iuventutis moram philosophie indulsit in studio Winnensi. Et ibidem postea doctor sacre theologie effectus in ordine; postea ob rogatum episcopi Gehardi²⁾ ob novam ereccionem studii universalis in Herbipoli sentencias ibidem legit scripsitque tria volumina notatu digna super „Ecclesiasten“; hic cum abbate Heinrico Heppe ad concilium Constantiense venit ibidem unus fuit ex decem delectis doctoribus, a quibus victus fuit Johannes Huss et combustus. Ibidem ipse se coniunxit episcopo Trevirensi,³⁾ cum quo sepulchrum domini Jeherosolimis visitavit; postea abbas electus. Rexit autem quatuor annis et mortuus est.

Fuit autem praenominatus abbas Bartholomaeus oriundus de Nurenberg, dictus Froewein.

Post eum obierunt sequentes:

Willhelmus de Nepomuck, sacerdos. — Johannes Duspach, sacerdos. — Otto Gleissenberger, conversus. — Fridericus, conversus, calceator. — Johannes Edelknecht, sacerdos. — Johannes Mospach, sacerdos. — Martinus, conversus, praepositus. — Heinrich Glacz, conversus.

Albertus Kirschenloe, artium magister, prudens in consiliis dandis, vir consiliativus, vocatus fuit ad concilium Basiliense et ibidem cum Hermannno, abbate de Kuttenheim, mansit quinque annis, negocia concilii sibi commissa ad diversas personas ut legatus strenue fuit executus.

Johannes Riel, prior, sacerdos. — Engelhardus Winter, sacerdos. — Fridericus Glaser, conversus. — Albertus Kizzing, conversus. — Johannes Jacobi, sacerdos. — Ulricus Melber, sacerdos. — Johannes Stadelbeck, sac. — Hermannus Faber, conversus. — Otto Volck, sac. — Andreas Schoder, conversus. — Johannes Cliber, sac. — Joh. Zwickenhammer, sac. — Joh. de Fulda, conversus. — Petrus Holpein, sac. — Conradus Longus, conversus. — Cunradus Winunk, sac. — Johannes Eysenman, sac. — Andreas Grim, sac. — Theodericus Negelein, subdiaconus. Martinus Drempe, sac. — Heinrich Herbst, sac.

¹⁾ Vgl. »Allg. d. Biogr.« Bd. 2, S. 109; vielfach abweichend von Niblings Angaben.

²⁾ Gerhard, Graf v. Schwarzburg, † 9. Nov. 1400.

³⁾ Werner von Könlgstein, †. Oct. 1418.

Hermannus de Koettenheim, nobilis. Hic successit in regimine Bartholomaeo, devotus et religiosus, sed etiam supramodum mirabilis monachus. Fertur, quod in officio procuratoris in Nuernberga et post abbattatum carnes non comederit, nisi in casibus in regula expressis; ipse fuit in concilio Basiliensi personaliter ad quinquennium, missus sepe cum aliis abbatibus in negociis concilii Basiliensis ad Bohemos et alios principes; et negocia concilii strenue expetivit. In quibus ipse sibi favorem patrum et celebre nomen acquisivit. In eodem concilio impetravit omnes electiones abbatum in Eberaw liberas et a dacione 70 florenorum anuatim ad cameram cardinalium. Nam ante hoc concilium Basiliense abbas electus Eberacensis cogebatur suos oratores, ad minus quinque, cum expensis mittere ad urbem pro confirmatione sua et illis tantum exponere de pecunia, quantum exponit episcopus Eygstetensis pro suo pallio. Nam ego Fr. Johannes Nibling legi ex registro, quantum abbas Bartholomaeus in urbe pro sua confirmatione exposuerit diversis personis, scilicet octingentos ducatos. Rexit autem prefatus Hermannus septem annis et in regimine disfortunium passus cessit furori et invitus resignavit abbatiam. Nec poterat post resignationem pensionem sibi factam tranquille in monasterio cum fratribus consumere. Studium Winnense pro mansione elegit. Nec ibidem cum provisione concordare poterat; reversus ad Nurenbergam prius concordata dissolvit et assignata sibi pignori pensione in monasterio „Fontesalutis“ reliquos dies vite consumsit, ibidem sepultus,¹⁾ et ibidem duo servicia fundavit conventui cum piscibus et albo pane.

Steffanus Weylhamer, sac. — Leonhardus de Zeil, sac. — Johannes de Geubach, sac. — Cunradus Spis, sac. — Nicolaus Rüdts, sac. — Johannes Hospes, obiit in Birckenfelts. — Engelhardus Goltstein, sac. — Johannes Schrawthaim de Volckach.

Heinricus Plumendrost, abbas.

Natus in villa Burgwindheim, vir formosus, praelaticus, procere stature homo, decimus quartus abbas Eberacensis, successit in regimine domino Heinrico Willdt; fuit electus anno domini 1447; vir doctus, eloquens, retor comptus, sacre theologie baccalarius formatus. Multas oraciones fecit in visitacionibus monasteriorum et electionibus abbatum; obiit autem in regimine suo anno domini 1455 et rexit quinque annis. Noctu iens de camera ad secessum primam januam huius loci ingressus casum dedit et expiravit; post eum obierunt:

Cunradus Bersch, sac. — Jodocus Ochsenfurdt, sac.

¹⁾ Vgl. Muck, »Gesch. v. Kl. Heilsbronn« III. Bd., S. 239.

Dominus Heinricus Willdt.

Successit in regimine domino Hermanno de Kuttenheim ; anno domini 1437 fuit in abbatem electus, vir bone consciencie, sciens utrosque monasterii status bene regere, unde sub eius regimine non mediocriter cepit status monasterii incrementum sumere ; ipse emit monasterio decimam in Meinstockheim pro 4 milibus florenorum ; item decimam vicinam ville Puchbrunn pro 2½ milibus florenorum. Construi fecit in magna caristia posteriorum domum in curia monasterii Schweinfurt ; emit curiam Volchach. Construi fecit custoriam in monasterio et librariam, tandem decrepitus et surdus effectus sponte, renitentibus suis filiis, abbaciam resignavit ; obiit anno domini 1454, post suam resignacionem anno nono ; circa altare Luce in monasterio sepultus circa parietem. Post eum :

Jeorius Fer, bursarius, sacerdos. — Bernardus, quondam abbas monasterii Castroaquile.¹⁾ — Johannes Koburger de Nuerenberg, dyaconus, obiit miserabiliter, quia se ipse sponte praecipitavit de voramine testudinis, in chorum cadens monachorum ad pavementum per voramen, per quod funes campanarum trahuntur ; et est sepultus in campo Niderhaepach, in vase. — Heinricus Pering, sac. — Gregorius Foerch, sac. — Nicolaus Leppisch, sac. — Cunradus Pellifex, conversus. — Cunradus Keller, conversus. — Johannes Textoris, sac. — Fridericus Hamer, sac.

Nicolaus Sars, abbas in Nepomuck,²⁾ de Eberach receptus, bene rexit. Anno domini 1462 civitas Prisstadt³⁾ fuit funditus destructa per dominum episcopum Herbipolensem, Johannem de Gruenpach,⁴⁾ contra Albertum,⁵⁾ marchionem Item eodem anno 1462 die commemoracionis sancti Pauli, palatinus Fridericus⁶⁾ circa Heydelbergam in medio campo circa villam Neckeraw⁷⁾ tres principes, qui ad nocendum sibi in suum territorium violenter intraverunt, cepit, captos ad Heydelbergam duxit, in vincula coniecit, videlicet Udalricum, comitem de Wirdemperg, marchionem de Padua,⁸⁾ et episcopum Metensem,⁹⁾ qui pro liberacione magnam pecunie summam dederunt. Item in eodem anno domini in vigilia „Omnium Sanctorum“ civitas Moguntina per traditionem occultam

1) Kloster Arnsburg in Hessen.

2) Kloster Nepomuck in Böhmen.

3) Prichsenstadt, U.-Franken.

4) Johann III., † 11. April 1466.

5) Albrecht Achilles, Markgraf von Brandenburg, 1440—1486.

6) Friedrich I., der Siegreiche, 1449—1478.

7) Kirchdorf bei Mannheim.

8) Padua hier = Baden.

9) Bischof Georg I., † 11. Oct. 1554.

noctu fuit expugnata et obsessa per principem dictum „der von Feldincz“.¹⁾

Johannes Poley, non incelebratus theologus, sacre theologie doctor, abbas effectus monasterio St. Crucis, receptus de Eberach, per imperatorem Fridericum intrusus; ideo adversitatem habuit usque in finem vite; sed mortuus fuit in abbatau, cum antea diu pugnauerat cum suis fratribus.

Nicolaus Heroldi, sac. — Leonhardus Doeckler, sac., obiit in studio Winensi. — Johannes Halpmeister, sacerdos. — Hermannus Sacer, hospes, exquisitus scriniator, qui armare circa summum altare construxit de Campo principum.²⁾

Johannes Puer, Abbas in Alderspach,³⁾ receptus de Eberach, optime rexit, quod hodie multa edificia demonstrant (1463).⁴⁾

Johannes Eygelperger, sac. — Conradus de Schwabach, sac. — Andreas Dütcher, sac. — Johannes Nancz, sac. — Johannes Herlammer, sac. iubeleus.

Hermannus Molitoris, abbas in Runa,⁵⁾ receptus de Eberach rexit fructuose triginta annos; temporalista magnus et filius huius lucis.

Paulus Monachus, sac., bonus pater et doctus. — Johannes Karg, supprior. — Johannes Ducher, sac. — Johannes Dym, sac. — Vitus, sac. — Johannes Schrach, sac. — Johannes Arnoldi, sac. — Engelhardus, sac. — Petrus Weldner, conversus. — Albertus, conversus. — Bartholomeus, conversus. — Erhardus Helpmeister, sac. — Steffanus Pistoris, sac.

Abbas Burckhardus.

Anno domini 1474 obiit reverendus pater dominus Burckhardus, qui abbati Heinrico Plummendrost in regimine successit, huius monasterii quartus decimus abbas, pius, formosus in persona, formosior in anima, amator sacrarum vestium, qui ipse multas preciosas comparavit vestes. Clenodia multa, praesertim domicilium pro venerabili sacramento et monstranciam maiorem crucemque totaliter argenteam eciam turribulum argenteum: novam eciam domum in infirmitorio.

Post eum obierunt;

Johannes Denzer, sac. — Jodocus Floes, bursarius. — Johannes Sawyer, dyaconus. — Heinricus Lamperti, sac. — Johannes Bernnheri, sac., portarius. — Johannes Awerbach, sac. — Johannes Sartoris, sac. — Nicolaus, conversus. — Cunradus

1) Pfalzgraf Ludwig v. Veldenz.

2) Kloster Fürstenfeld, Oberbayern.

3) Kloster Aldersbach in Niederbayern.

4) Von späterer Hand.

5) Kloster Reun in Steiermark.

Molitoris, sac. — Nicolaus Schwarzman, sac. — Carolus, conversus. — Petrus Gering, sac. — Petrus Karr, sac. — Nicolaus Scheman, sac. — Cunradus, conversus. — Eckarius, sac., portarius. — Johannes, conversus, prepositus. — Johannes Lüpi, sac. iubileus. — Conradus Dym, sac., cantor. — Johannes Keyholz, cantor. — Paulus Schrot, sac. — Petrus Weldner, conversus. — Andreas Hornung, sac. — Mathias Guetler, custos. — Adam Schmittner, sac. — Andreas Stebhorn, sac. — Jodocus Roesner, abbas in Ungaria, monasterio Pelisio,¹⁾ de Ebrach assumptus. — Laurentius Diesser, dyaconus. — Heinricus Stoedt, sac., cantor. — Judocus Ducher, dyaconus. — Johannes Karner, sac. iubileus. — Heinricus Scholl, abbas in Ungaria, monasterio ad St. Gotthardum. — Heinricus Murr, sac.

Notandum :

Anno domini 1480 ad preces regis Ungarie pro reformatione monasteriorum in suo regno miserunt patres ordinis (in Germania simul ad Ungariam septuaginta monachos; misit etiam dominus abbas Johannes Kauffmann, doctor, quatuor monachos de suo conventu, doctos et religiosos, ex quibus tres (sic!) fuerint creati in abbates, videlicet Jodocus Rösner, Heinricus Scholl, Heinricus Mulich, Heinricus Murr.

Hermannus Pellifex, conversus. — Fridericus Ligonista, conversus.

Doctor Johannes Kauffman.²⁾

Quintus decimus abbas Eberacensis, in regimine successit domino Burckardo; obiit felix in Christo 1489, sacre theologie professor fidelis, vir doctus, prudens, qui decem et octo annis lectioni ordinarie in theologia in studio Winensi preluit, sagax in temporalibus, in regimine humilis, fastum omnino spernens, pauca et humili familia contentus, ultor criminum severus, negligentias maxime officialium minime dissimulans, religiosus pius, rebellis et inobedientibus durissimus, unde in ejus regimine monasterio non parum profuit. Curia habitabilis in Nurenberga sub eius regimine e fundo nova fuit constructa; infulam preciosiorem emit ad custoriam. Rexit annis quindecim et inter manus plangentium die sancti Ambrosii Deo reddidit spiritum. Iste Johannes Kauffman, doctor, in morte sua tantum reliquit monasterio, quantum unquam de pecunia aliquis antecessorum abbatum reliquerit et timendum, quod etiam nullus supervenientium tantum relinquat.

¹⁾ Pilis bei Pest.

²⁾ Fehlt in der »Allg. d. Biographie.«

Post eum obierunt:

Sifridus Haller, sac., capellanus monialium in Schonaw. — Laurentius Custos, dictus Fabri, sac. — Johannes Mackell, utilis bursarius, sac. — Cunradus Hezzer, sac. — Johannes Pawr, sac. — Johannes Pflawm, sac. — Henricus Abesser, sac. — Jeorius Schull, sac. — Henricus, conversus, prepositus. — Johannes Hoen, sac. iubileus. — Jeorius, conversus, forstarius. — Henricus Cloppfer, sac. — Paulus Weis, jubileus, sac. — Henricus Weimann jubileus, sac. — Nicolaus Moerdwein, sac. — Leonardus, conversus, forstarius.

Nota!

Sub regimine pii Viti, domini abbatis, et fratris Johannis Nibling, prioris, cum unanimi consensu conventus laudata plurimum ista consuetudo est introducta in perpetuum duratura, quod prima die obitus alicujus monachi atque conversi usque ad tricesimum diem sue mortis per priorem eligi debeat quidam pauper benefamatus, qui refectiois tempore ingredi debet refectorium et ex integro per triginta dies in pane, vino, reliquisque esculentis refici debeat in signum, ut anima defuncti eternis epulis refici debeat. Et ista pia subvencio inchoata est cum sequenti defuncto anno domini 1497.

Henricus Mulich de Unsuentd sacerdoctus (sic!) missus fuit cum aliis ad Ungariam pro reformatione ibidem monasteria; et promotus in abbatem in Paskič¹⁾ rexit annis tribus, tandem infirmus effectus, in capite destructus, repatriavit, reliquos dies in Eberach consumsit. Mortuus anno domini 1495.

Henricus Puckell, sac. iubeleus. — Laurencius, conversus. — Andreas Wolfram, confessor menialium Celiporte. — Paulus Molitoris, sac. — Johannes Haberacker, sac. — Johannes Molitoris, dyaconus. — Leonhardus Guechsam, sac. — Thomas Currificis, sac. — Jeorius Weisweber, sac. — Nicolaus Ston, sac. — Johannes Reinhart, sac.

De pio abbate Vito.

Decursis post Christi in humanis ortum mille quingentis quatuor annis pridie Kal. Octobris ultima mensis Septembris obiit reverendus in Christo pater dominus Vitus, sextus decimus abbas monasterii Eberacensis, anno etatis sue 48. ex matre Ruecker, ex patre Vendt dictus, arcium liberalium determinator ac sacre theologie baccalarius profundus, vir mansuetus et pius, homo reverendi vultus, procere stature, corpulentus, boni nominis et fame. Rexit monasterium proficue novem annos cum dimidio. Tandem destitutus causa recuperandae sanitatis ad Bam-

¹⁾ B. M. V. de Pászó.

bergam pergens sub cura medici degens ibidem Deo spiritum reddidit. Quantum autem monasterio profuit sequentia edocebunt. In primis sub eius regimine comparata est imago beate virginis argentea, imagines sanctorum argenteae Nicolai, Benedicti, Bernardi atque Johannis evangeliste. Comparavit unam novam totaliter argenteam virgam pastorem, quatuor calices. Anno domini 1403 emit unum ornatum viridis coloris cum singulis attinenciis videlicet mantello, dalmaticio, albis, humeralibus pro 400 fl. propter preciosam crucem, que in dorso casule est posita; item alium ornatum glauci coloris cum singulis attinenciis pro trecentis sexaginta quinque fl. In altari conversorum tabulam emit pro centum et triginta florenis; in altari S. Anne tabulam pro 50 fl. Construxit novum celare in monasterio; fornacem ferream in refectorio hiemali emit pro 100 et octoginta florenis; forstarii, hospitalis et custodis domos construi fecit. Vixit in virtutibus, mortuus est in pietate. Vasa potatoria argentea plurimum augmentavit. In Schweinfurt curia monasterii anteriorem domum construxit. Vixit laudabili vita; decessit bona morte. Sepultus iuxta eius desiderium in monasterio (quamvis Bamberge mortuus fuerat) in sepulchro dominorum abbatum, secundo sepulchro iuxta custoriam; eius anima requiescat in pace! Amen. Sed ne mireris, candide lector, cum ego frater Johannes Nibling abbati praefato Vito tot laudum preconia impenderim, ne arbitreris, an hoc me officio adulatoris perfunctum: quia sua commendabilis vita eundem preconisandum reddidit dignum; tum, quia, cum ego Heydelberge academiceis et theologiceis literis operam dedissem, ipse michi fuit dulcissimus collega, fidelis amicus et fautor; et quoniam, que in fine dicuntur, magis memorie commendantur, in extrema parte vite sue prenominatus abbas positus suo dilecto priori in primis et conventui ex Bambergam manu sua (quamvis tremula) scripsit sic: „Dilecte prior et singuli fratres et filii, per extremam nostram charitatem obsecro vestras et venerabilitates et fraternitates, si quem verbo aut facto offendissem, aut in vita mea aut actionibus scandalum dedissem, velitis pie propter Deum michi indulgere! Et ego cum presentibus indulgeo. Dat. Bamberge, ex lecto doloris, tremula manu. Moriturus.“ Vive felix cum superis pie domine Vite!

Jeorius, conversus, forstarius, 1505. — Ulricus, conversus, sartor, 1505. — Erhardus Pfenzlein, sac. 1505. — Jeorius Weidner, dyaconus, 1505. — Jeorius Pictoris, sac., cecus per 36 annos, 1505. — Johannes Hilpurghausen, sac. 1506. — Cristoferus Apell, iubileus sac. 1606. — Hilprannus Medicus, conversus, 1506. — Conradus Cerdonis, sac., confessor monialium Celiporte. — Michahel Dytterich, sac. 1507. — Conradus Pawer, sacerdos, confessor monialium in Schonaue.

Abbatissa in Coeliporta,

ex caussis praegravantibus sui monasterii venit ad Eberacum cum priorissa, proba et honesta virgine et puella, dicta Magdalena von Habern. Et ista priorissa cum abatissa fuit in proca monasterii hospitata; et peste infecta obiit anno domini 1507, etatis sue 23; in ambitu sepulta sub lapide directe ante januam cappituli.

Kylianus Lang, sac., confessor monialium Celiporte. — Johannes Schluchterer, conversus, 1507. — Henricus Hauck, sac., officialis in Meinstockheim, 1508. — Johannes Feldner, conversus, 1509. — Eberhardus Thruechsell, sac., 1509.

Anno domini 1489 in locum domini Johannis Kauffman fuit electus in abbatem reverendus dominus Nicolaus Angeli de Koenigsparg, vir procere statuere sicut gigas; arcium determinator, qui in principio regiminis sui octavo die construi fecit de fundo refectorium hiemale; reformavit quasi totaliter abbatiam cum novis habitationibus; domum balnealem et anteriorem domum in curia monasterii Elgersheim construi fecit; ad custoriam emit imaginem totaliter argenteam in dorso cuiusdam ornamentum pendantem et plura alia ornamenta et iocalia vasaque potatoria; rexit annis sex; tandem cessit inquietudini fratrum. Invitus resignavit; post resignacionem vixit 14 annos pensionem sibi factam cum seculari famulo et capellano absumens in novo infirmitorio, superiori stuba; mortuus est anno domini 1509.

Valentinus Senter, sac., 1510. — Johannes Huebner, sac. 1510. — Jeorius Sellatoris, sac., 1510. — Steffanus Fabri, sac., fuit in incissione calcium mortuus Nurenberge 1512. — Jeorius Weiglein, sac., portarius, 1512. — Johannes Freindt, sac., prepositus montis sti. Gangolfi,¹⁾ 1514. — Johannes Sibenjar, sac., 1516. — Henricus Hallis, sac., prepositus montis s. Gangolfi. — Johannes Carnificis, sac., 1517. — Gumbertus Pfister, confessor monialium in Celiporte, 1517. — Johannes Walter, sac., 1519.

Anno domini 1520.

Vicesima octava Aprilis obiit venerabilis dominus Jeorius Som, sacre theologie doctor fidelis, monachus devotus, cultor religionis precipuus, de Ochsenfurdt natus, huius monasterii professus.

Johannes Geyling, conversus, 1520. — Michahel Stetfelder, sac., 1521. — Marcus Herolt, sac., 1521. — Jeorius Foerster,

¹⁾ Welches Kloster?

sac. iubeleus, 1521. — Judocus Ulrici, sac., 1521. — Nicolaus Reisman, sac. iubeleus, qui super 40 annos utiliter officium procuratoris in Nuerenbergae rexit; obiit 1523. — Otto Silberhoren, sac., 1524. — Johannes Klein, sac., 1524. — Johannes Herwart, sac., 1524. — Andreas Rapolt, sac., 1524. — Johannes Rosst, sac., 1524. — Caspar Streidt, sac., officialis in Sultzheim 1524.

Nota de fratre Johanne Nibling, compositore huius libelli
sicuti aliorum trium liberorum:

Frater Johannes Nibling de Volckach, arcium determinator et sacre theologie baccalarius formatus, anno etatis sue 43. in religione et anno vite sue 61. anno autem domini millesimo quingentesimo vicesimo quarto sponte prioratum resignavit, quem antea cum duobus abbatibus viginti quatuor annis rexit. Mortuus est in pace Christi anno domini millesimo quingentesimo vicesimo sexto.

Gregorius Stupfler de Monteregio, sac., 1525. — Johannes Coci, sac., servitor dom. abbatis, eod. anno... — Johannes Pistoris, sac., de Gerolzhofen, 1525. — Steffanus Stebhoren, confessor monialium in Schoenaw, 1525.

Hic fuit primus, qui mortuus est post incineracionem totalem monasterii et rebellionem rusticorum adversus principes, nobiles, monachos et sacerdotes, quorum castra, municiones et monasteria destruxerunt.

¹⁾Johannes Currificis, sacerdos et monachus, 1526. anno obiit. — Johannes Nibling, Nurenbergae obiit anno 26. Prior. — Johannes Textoris, sacerdos et monachus anno 26. — Michahel Grohe eodem anno Sweinfordie obiit. — Michael Dulwisch, sac. et monachus in Swabach; obiit 27. anno. — Nicolaus Herolt, sac., obiit anno 28. — Johannes Ortulani, sac., eod. anno. — Vitus Ziel, sac., procurator Nurenberge, obiit ibidem, sepultus 28. — Wolfgangus Bonacke de Ebern, sac., 29. — Johannes Kqrner, sac., anno 29. — Albertus Hen, conversus, 29. — Michel Heppinger, conversus, prepositus, 29. — Johannes Trost, prior, 29. — Petrus Ludewig, conversus, 30.

Sub regimine Johannis Lupi, abbatis, obierunt:

Pangracius Mey, sac. et monachus, anno 1531. — Johannes Nagengast, offic. in Hernsdorf, sacerdos, 32. — Wipertus Pfister, offic. in Meinstockheim, anno 32. — Conradus Cerdonis, conversus, 32. — Georius Winsbach, prior 32. — Wilhelmus Fabri, sac. et bursarius, Babenberge obiit 33. — Johannes Leiterbach, abbas, depositus Felicis et Adaucti 33. — Bernhardus

¹⁾ Von hier ab neuere Schrift aus der Mitte des XVI. Jahrh.

Kraus, sac. de Yphoff, obiit Nurenberge, 34. — Sebastianus Doliatoris, officialis in Meinstockem, 34. — Johannes Greff, officialis in Herbipoli, 35 in cena domini. — Johannes Heuffer, sac. et vinitor, 36 obiit. — Casparus Heippestein, sac. et prior, 36. — Georius Beyer do Obersvarezag, sac., eod. anno. — Nicolaus Rosner, cantor et sac., 37. Mathei obiit. — Johannes Fabri de Zeil, sac., anno 37. Thome apostoli obiit. — Andreas Denczer, sac., obiit anno 1538. Magdalene.

¹⁾ Catalogus fratrum religiosorum, qui ab anno dñi. MDXXXIII. usque ad annum presentem 1649 nomina sua sacrae Cisterciensi religioni in Eberacensi hoc coenobio dederunt.

D. Joannes Lupi, abbas, obiit anno 1540. — Joannes Bandler, iubileus. — Bernardus Knauss, obiit 1534. — Joannes Schmidt. — Joannes Greff, obiit 1535; officialis Herbipoli. — Joannes Rabann. — Gregorius Henricus Baier, obiit anno 1536. — Casparus Heppanstein, prior, obiit anno 1536. — Sebastianus Doliatoris, officialis in Meinstockheim, obiit 1534. — Sixtus Baum. — Mathaeus Gebhard. — Andreas Dentzer, sacerdos, obiit 1538 die St. Magdalene. — D. Conradus Hartmann, abbas, obiit anno 1551. — Georgius Schmidt. — Conradus Knab. — Nicolaus Roesner, cantor et sacerdos, obiit ao. 1537 S. Mathei. — Joannes Heuffer. — Nicolaus Jeckle. — Thomas Beckh. — D. Johannes Pistoris, abbas, obiit anno 1562, 4. Jan. — Petrus Breitner. — Henricus Eyring. — Joannes Hirsman. — Joannes Hollerbach. — Marcus Schlugterer. — Wolfgangus Sartoris. — D. Paulus Zeller, abbas, obiit 1563, 29. Jun. — Joannes Dieterich, assumptus in abbate monasterii Seisenstein. ²⁾ — Wolfgangus Hetschuch. — Hilarius (apostata). — Erasmus Meyer, abbas. — Joannes Wurtz. — Joannes Kueniger. — Laurentius Müller. — Philippus Heberling, abbas in Fonte salutis. — Joannes Hiller. — Joannes Barnar. — Bernardus Schwab. — Sebastianus Harsch. — Joannes Beierl. — Petrus Bauer. — Valentinus Yeckle. — Andreas Schmidt. — Martinus Cantzler. — Christophorus Hebeisen. — Joannes Lindtner. — Nicolaus Gross. — Joannes Zorn. — Joannes Langendorfer. — Gasparus Geilmann. — Joannes Wagner. — Georgius Beer. — Jacobus Hagel. — D. Leonhardus Rosa, abbas, obiit Bambergae 1559. — Nicolaus Stabel. — Joannes Koch, prior. — Michael Ostermeier. — Johannes Noët, offic. Herb., parochus in B-(?) windt. — Adamus Neuser. — Johannes Oheim. — Johannes Roedner. — Casparus Geussauff. — Joannes

¹⁾ Aus viel späterer Zeit (Ende des XVII. Jahrh.).

²⁾ Kloster in Niederösterreich.

Diemar. — Albertus Heidenreich. — Andreas Dentzer. — Joannes Riess. — Michael Hoertlein. — Michel Hess. — Georgius Hauck. — Leonhardus Degen. — Erhardus Nürnberger. — Reichardus Rohrensehe. — Nicolaus Petri, officialis in Sultzheim. — Laurentius Bauer. — Joannes Wiener. — Joannes Wendel. — Joannes Letterbach. — Joannes Lör. — Joannes Eyring. — Michaël Schwab, offic. Herbipoli. — Georgius Leupold. — Nicolaus Rüter. — Wolfgangus Zeller. — Andreas Fabri. — Joannes Hoepel. — Georgius Wesenus. — Sebastianus Glimm. — Blasius Greiner, prior. — Christophorus Ammon. — Joannes Buechs. — Hieronymus Koeler. — Wolfgangus Hertlein. — Georgius Kienlein. — Andreas Wolff. — Aegidius Koeler. — Georgius Stoessel. — D. Hieronymus Hoelin, abbas, obiit anno 1615 die Stae. Catharinae. — Joannes Zigler, prior. — Andreas Müller. — Petrus Weiss. — Stephanus Kolb. — Valentinus Sigler. — Fridericus Soenlein. — Jacobus Bauer. — Joannes Wurtzel. — Joannes Schreiber. — Balthasarus Roeser. — Joannes Schlegel. — Joannes Rummel. — Wilhelmus Wolgemueth. — Georgius Fabritius.

Sub D. Hieronymo Hoelin, abbate:

Georgius Caesar. — Nicolaus Prauser, oriundus de Fahr, granatarius, obiit exul Herbipoli in aedibus nostris in Aprili anno 1647, sepultus in Coeliporta. — Conradus Stettfelder. — Christophorus Lager. — Joannes Greff. — Joannes Meister, bursarius. D. Joannes Dressel, abbas, obiit anno 1637 die 5. Aprilis, oriundus de Holfeldt; totum suum exilium et bellum Suecicum descripsit in libello manuali; sepultus in ala aquilonari ecclesie. — Georgius Eyselein. — Joannes Faber. — Dr. Joannes Feiltzer, assumptus in abbatem Brunbacensem¹⁾ ao. 1618. — Philippus Winckler, culinaris. — Joannes Reiblein, prior, obiit, antea officialis Herbipoli et monialium confessarius. — D. Casparus Brack de Geroltzhofen, theologus Romanus promotus, obiit anno 1618, 2. Maij, antea parochus in Burgebrach. — Joannes Marcus Gerner, parochus Erlebacensis. — Georgius Zuerl. — Joannes Urspringer. — Valentinus Kirchner. — Nicolaus Hermannus. — Conradus Faber. — Joannes Heinlin. — Jacobus Muelich. — Leonardus Molitor, vicarius seu parochus in Burgwinheim. — Joannes Hein. — Christoforus Kremer, prior. — Johannes Herdegen, Curatus in Winheim. — Joannes Pfefferman. — Martinus Rauschart, superstes 1649, in Febr. mortuus ao. 1650. — Nicolaus Hoffman, prior, deinde officialis in Sultzheim, vir doctus et facundus; sacre theologie doctor, obiit a

¹⁾ Kloster Bronnbach bei Wertheim.

Suecis vulneratus 1632. — Michael Scherelius, officialis Herbip. et confessor monialium. — Georgius Bock. — Joannes Proschell. — Jeremias Bardt. — Johannes Zehendter. — Georgius Brueckner, s. theologie licentiatuſ, oriundus de Albimoenio. — Joannes Densch, prior, obiit 12. Martii anno 1646 sub bello Svecico; hospites egit in partibus Austriae, Stirie etc. — Georgius Weisssoth, obiit parochus im Forderberg in Styria eodem ao. et mense. — Henricus Kesler, conversus. — Bonifacius Krag. — Sebastianus Neuner. — Joannes Hoffman. — Joannes Meier, conversus. — Wolfgangus Mole. — Joannes Eselius, parochus in Erlenbach. — Laurentius Embich. — Nicolaus Knorr. — Joannes Georgius Lang. — (1625 professor) Adamus Bertelmann hoc anno 1649 prior, 1651 parochus in Erlebach. — Joannes Godefridus Mohr, hoc tempore in Austria adhuc. — Georgius Scheurer, sacerdos, natus de Burgwindheim. — D. Henricus Portner de Spissheim, abbas exul in Claravalle, adhuc religiosus; religiosus vixit; religiose obiit pridie Stⁱ Francisci anno 1646. Sepultus ad pylarium sinistrum primum a sepulchro Friderici ducis¹⁾ et fundatoris nostri. — Laudatur a R^{mo} P. Generale Claudio ao. 1654 et in literis Claraevallensium. — Joannes Jacobus Gopp, prior, officialis in Sultzheim, obiit Geroltzhoven ao. 1646 2. Aprilis, sepultus in choro Stae. Catharinae in ecclesia nostra Herbipolensis. — Nicolaus Scoto. — Joannes Casparus Meier. — D. Petrus Scherenberger, abbas ex bursario, hodie regnat ao. 1649; utinam diutissime et prosperrime! (obiit 1. Jun. 1655). — D. Joannes Pfister, abbas, Herbipolensis, obiit anno domini 1641 19. Sept.; sepultus prope secundum pylarium a sepulchro Friderici ducis; (hoc sepulcrum ducis translatum est anno 1650.) — Joannes Billinger, conversus. — Joannes Wolff, hodie parochus in Austria, adhuc exul. — Joannes Philippus Meier, conversus. — Pancratius Medendoerffer obiit exul et parochus in superiori Austria anno 1646. — Joannes Agricola, Forheimensis, exul olim Runae et hospes, hodie parochus in Burg-Ebrach (obiit 1652 Suinfurti subitaneae). — Georgius Stigler, Herbipolensis, hodie officialis in Sultzheim, olim hospes in Willering anno 1641; obiit 1660. — Paulus Lutz, prior, hodie officialis Herbipoli et confessarius monialium in Celiporta, anno 1641 hospes Allerspachii, obiit 1650. — Andreas Rath, pistor, conversus, hodie granatarius.

Sub D. Petro abbate professi.

Josephus a S. Agricola, in seculo dictus Joannes Jacobus Agricola, Sargemundanus, in Germano-

¹⁾ Herzog Friedrich IV. von Schwaben, † 1167.

Lotharingia; ex Novenni professo anno 1647 in festo S. Bened. et subpriori Bildhusano, Ebracensium subprior et magister novitiorum hodie 1649 et prior ao. 1654. — Benedictus a S. Stephano, olim Thobias Nusser de Hassfurth, professus anno 1647; acolythus primitias celebravit in festo innocentium 1653; prior ao. 1656. — Robertus a S. Burchardo, olim Johannes Burchardt de Sommerach, dictus Volcacensis: professus eodem anno 1647, subdiaconus primitias celebravit 26. Decembris 1649. — Bernardus a Jesu, olim Christophorus Geiger, Herbipolensis, eodem anno die s. s. Petri et Pauli, hodie physices studiosus Herbipoli, acolythus primitias celebravit in festo Innocentium 1658. — Alanus a S. Maria, conversus, refectorarius, olim Michael Sauer, eod. ao. et die professus; molitor. — Albericus a S. Bernardo, diaconus, s. theologiae candidatus, olim M. Joannes Casparus Degen, Zeillanus, vicarius in novo monasterio Herbipoli, professus ao. 1648 in pentec., primitias celebravit 1649, 7. Nov.; prior 1652. — Eugenius a S. Bernardo, subdiaconus, s. theologiae studiosus, olim Joannes Schlang, Bambergensis, eod. anno primitias celebravit 1650, 9. Octobr. — Wilhelmus a S. Petronella, conversus, hortulanus, olim Georgius Conradus Schmitt de Burgwinheim, profitetur ao. 1649, 27. Junii. — Stephanus a S. Evangelista, acolythus, profitetur 19. Aprilis 1650; olim M. Joannes Wehner, Burchardrodensis; primitias celebravit 1650; 9. Octobr. — Edmundus a S. Malachia Stepper, Herbipolensis, professus in festo S. Nicolai 1650; olim Nicolaus Stepper, physicus, primitiavit 1653, 6. Januarii. — Petrus Pfriend, Volchaita, professus in festo Corporis Christi 1651, olim Joannes Pfriend, absolutus philosophus. — Christianus Götz, Buchheimensis, professus in natalitiis domini 1651, olim Jo. Conradus Goetz, rhetor, primitiavit ao. 1655 in festo B. V. assumptae. — 1. Hugo Wolfarth, episcopus, ad Juberam professus in festo S. Michaelis 1652, olim Leonardus Wolfarth, rhetor. — 2. Hermannus Feth, Herleimensis, professus eodem die et anno; olim Joannes Feth, physicus. — 3. Heinricus Uhl, Burkardrodensis, professus eodem die et anno olim Georgius conversus Victor. — 4. Nicolaus Wolbacensis, professus, eodem anno et die; olim Michael Pfühl, conversus; braxator. (NB. Hi quatuor cifris notati sub communi novitiatu provinciae Franconiae Ebraci instituto a capitulo generali celebrato Cistertii 8. Maii 1651 ex monasterio Eberacensi cum reliquis monasteriorum novitiis sub magisterio f. Alberici Degen in observantia regulari fuerunt exercitati, sed post annum primum a Capitulo provinciali novitiatus ille communis ob paupertatem monasteriorum aliasque difficultates abrogatus est.) — Gerardus Vendt, olim Joannes Adamus rhetor Herbipolensis, profitetur 20. Septembris anno 1654 sub magisterio F. Josephi prioris. — Conradus Mayer, olim

Joannes Conradus, rhetor, Herbipolensis, professus eodem die et anno. — Quido antea Andreas Haertling, rhetor, Herbipolensis, professus eod. die et anno. — Cuno, antea Joannes Cuno Vogt, Oberweselanus ad Rhenum, logicus, profitetur eod. die et anno accepta prius prima tonsura cum aliis tribus, altero deinde die etiam quatuor minoribus initiatur; bonus pictor. — Ferdinandus, quondam Christophorus Ferdinandus Hector, nobilis Rottenburgensis ad Nierum, rhetor, profitetur cum seq. quatuor 28. Martii in Paschate ao. 1655. — Wernerus, antea Jacobus Wernerus Klump, Constantiensis, logicus, 28. Mart. 55. Primitiavit anno 1656. — Malachias, antea Stephanus Wacker, acolythus, Carolstadianus, theologus moralis, vicarius olim in Haugis Herbipoli, 25. Mart. ao. 1655, sacerdos ao. eodem. — Albertus, olim Casparus Albertus Gersitz, acolythus, Carolipolitanus, moralista, eodem primitiavit ao. 1656. — Nivardus, antea Nicolaus Agricola, logicus Bambergensis, eodem. Hi novem profitentur sub magisterio F. Josephi; primitiavit anno 1662 in Paschate. — Candidus, antea Simon Kuhn, summi templi Herbipoli vicarius et sacellanus d. praepositi Bambergensis, sacerdos et absolutus theologus, profitetur ao. 1655 die 26. Decembris; fit profugus anno 1661 pridie Kal. Febr. — Julianus, antea Andreas Lempach, ex vicariis summi templi Herbipoli et vagottista, musico egregio, monachus in Eberach et sacerdos, profitetur die 11. Martii, dominica Letare ao. 1657. — Placidus Braun ex Ord. S. Benedicti et prior Fuldensis fit Eberaci humilis monachus, facta post transcriptum annum probationis solenni professione, die 5. Augusti 1657; prior anno 1682. — Michael Apffelbach, Herbipolensis, philosophiae studiosus, profitetur 18. Aprilis fer. II. Paschatis anno 1661; acceptis eodem die 4 minoribus ordinibus. — Leopoldus Udalricus Heffner de Gamburg ad Tuberam, logicus, profitetur eod. anno 27. Maii (5. Junii) 1661 die S. Corporis Christi. — Georgius Neogeorgi, vulgo Neubauer, de Herlheim natus, metaphysicus, professus 10. Aprilis fer. 2. Paschatis anno 1662. — Bartholomaeus Bartholomaei, Herbipolensis, profitetur eodem die et anno, rhetor. — Ludovicus Ludovici de Oberschwartzach, theologiae studiosus, profitetur 25. Junii eod. anno; olim dictus Joannes Georgius. — Sebastianus Herterici, Herbipolensis, rhetor profitetur eod. die et anno, acceptis sicut alii prius quatuor ordinibus. — Godefridus Boenlein, Burckhardrodensis, rhetor, profitetur 22. Octobris anno eodem 1662; vocabatur ante ingressum Joannes.
